

1481

C A P V T XXIX.

1482

- 7 Dixitq; Ecce adhuc dies magnus est: nondum est tempus, ut congregetur greci: potum ergo date gregibus, & abite: pascite.
- 8 Qui responderunt: Non possumus, donec congregati fuerunt omnes greges, & deuoluerint lapidem de ore putei, & potum demus gregibus.
- 9 Adhuc eo loquente cum eis: & Rachel venit cum grege patris sui. Nam ipsa pascebatur gregem.
- 10 Fuit autem cum vidisset Iacob Rachel filiam Laban fratris matris sua: & gregem fratris matris sue, accessit Iacob, & deuoluit lapidem de ore putei, & potum dedit gregi fratris matris sue.
- 11 Et osculatus est Iacob Rachel: leuauitq; vocem suam, & fleuit.
- 12 Iam vero nuntiauerat Iacob Rachel, quod frater esset patris eius, quodq; filius Rebeccae esset: & cucurrit ipsa, & nuntiavit patri suo.
- 13 Fuit igitur, cum audiisset Laban rumorem de Iacob filio sororis sua, currens ei obuiam, amplexatus est eum, atque osculatus est eum, & duxit eum in domum suam. At ipse narravit Laban omnia verba haec.
- 14 Et dixit ei Laban: Vere os meum & caro mea tu es. Et mansit cum eo mensem totum.

E X P L A N A T I O.

I. **E**VAVIT ITA QVE PEDES A **S**VO S. Vetus: Profectus itaque Iacob venit: non incommode: sed phrasis Hebraica emphatice significat, eum alacriter & instar cursoris indefessi perrexisse Mesopotamiam versus, oraculo accepto. Germanice dicitur: Er nam die Fuß dapffer mit sich / id est, strenue pergebat. In terram Orientalium. Hebr. & Onkelos, in terram filiorum Orientis. Nam & Haran erat Orientalis Canaanæ. LXX. addunt: ἀεὶς λαζαροῦ τὸν ἐν βαθύναι Σέρπαδελφὸν ρεβέκκας μητρέας ιακών καὶ ιων. B Commendatur fides, & inde nata alacritas Iacobi. Confirmatus oraculo quasi periculorum securus absque fastidio & molestia currit per 120. mill. ad ignotam regionem, quia est certus de Dei præsidio. Fides enim promissionibus Dei adhibita non modo nos armat in rebus aduersis, vt patienter feramus, sed etiam alacritatem addit, vt strenue superemus difficultates omnes. Hæc ergo prima capituli circumstantia de profetiōne Iacobi.

2. **E**T **V**IDIT, **E**T **E**CCE **P**UTEVS **I**N **A**GRO. Altera circumstantia est colloquium Iacobi cum pastoribus Carrensis, cuius locum, occasionem & argumentum Moses describit.

Propinquus vrbi, ad quam pergebat Iacob, in campo iuxta puteum videt pastores cum tribus gregibus quiescentes. Causa additur, cur ita cubauerint, quia erat puteus aquationis, sed grandi opertus saxo, forte ne aquæ fœdarentur. Et quia saxum grande non poterat deuolui, nisi à pluribus, non poterat fieri aquatio, nisi omnibus pastorum gregibus congregatis: facta vero aquatione lapis rursus obuoluebatur. Hæc dicuntur vers. 2. 3. 8. Cum pastoribus igitur ibi iuxta puteum clausum recubantibus & sociosexspectantibus Iacob & ipse pastor occasione colloquii à re præsenti sumpta, primum vt fratres amice compellat; quod non tam ad commune vitæ genus, quam ad humanitatem eius seculi videtur referendum, quando ignoti quiuis se fratres appellabant, memores communis ortus & sanguinis ex uno parente; & quia Hebræo idiomate vltro citroque colloquuntur Iacob & pastores, Hebræum vel Syrum sermonem in ea vrbe, in qua diu habitauerat Abraham, in vsu adhuc fuisse colligitur. Deinde tria sciscitatur, ad quæ illi absque morositate respondent; quod rursus seculi eius integritatem indicat: 1. vndenam sint? Audiens esse Carrenses, pergit: 2. an noue-

d

noue-